



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

22. Confide filia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

dere est apud historiae Ecclesiasticae auctores Eusebium libro septimo, capite decimoquarto; Sozomenum libro quinto, capite vigesimo; & Nicephorum libro sexto, capite decimo quinto. Scelerata impietas est, & aperta ad atheismum via, aliquod exemplum in diuinis Scripturis commemoratum & commendatum, tanquam priuatum rejicere: quum non solum dicta sed & facta Christi, vel à Christo commendata, quid facere & credere debeamus, nos doceant.

22. *Confide filia.*

**V**EL LICAT hic rursus & modis omnibus infirmare contendit hoc haemorrhoeisae factum proteruis Calvinus. Ait enim ad haec verba. *Fidei imbecillitas hoc verbo arguitur. Nisi enim vitiosa esset trepidatio, non eam corrigeret Christus hortando ut animum colligat.* Nihil est hoc haeretico praefractius. Quod in singularem fidei in hac muliere laudem atque commendationem dixit Christus, hoc ille ad fidei eius reprehensionem trahit, Christus enim dicens, *Confide filia*, & confestim adiungens, *Fides tua te saluam fecit*, manifestissime voluit illo verbo eius fidem singulariter commendare. Quid est enim, *Confide filia*, nisi, *Esto bono animo filia?* Et quare iuber esse bono animo? *Quia*, inquit, *fides tua te saluam fecit*, id est, quia fides tua, qua me tetigisti, mihi tantopere placet, tam firma & valida ac sancta fuit, ut illa te sanauerit, ut propter illam tuam fidem, non propter simplicem contactum, sanitas tibi restituta fuerit. Propter hanc fidem tuam, per quam consecuta sanitatem es, esto bono animo. Noli metuere quod te vocauerim, & a facti confessionem coram tota hac

Calvinus praefractè Christo contradicit.



ra hac multitudine compulerim. Non ad tui reprehensionem, sed ad tui commendationem hoc feci. Non ut fidei tuæ imbecillitatē corrigerem, sed ut fidei tuæ firmitatem atque præstantiam toti huic multitudiui propalarem. Quis non videt hunc esse manifestum Christi verborum sensum? Quando præcedenti cap. Christus dixit paralytico: *Confide filii: Remittuntur tibi peccata tua*: an dicit Calvinus quod fidei eius imbecillitas hoc verbo arguebatur? An non potius eius fides disertissimè commendatur, quum statim subiungat Christus, *Remittuntur tibi peccata tua*? Nam in illis verbis, *Videns Iesus fidem illorum, synecdoche est*, ait ad illa verba Calvinus, *quia non ita respexit Christus eos qui paralytici cum ferebant, quin eius quoque fidem intuitus fuerit*. Hæc ibi Calvinus. Eodem modo advertere debuit Christum hoc loco, quum dicit, *Confide filia*, moxque adiungit, *Fides tua te salvā fecit*, antecedentem fidem respexisse, qua eum tetigit, eamque singulariter commendasse.

28. *Creditis quia hoc possum facere vobis?*

Fides non  
est fiducia

**Q**UUM fides hoc loco, de qua Christus postea subiunxit, *Secundum fidem vestram fiat vobis*, fuerit fides & firma persuasio de potentia Dei & Christi, non autem fides specialis circa promissiones Dei, aut ipsa fiducia, quam solam hæretici volūt esse fidem propriè dictam, conatur hoc loco Calvinus hanc totam historiam Evangelicam more suo depravare. *Queri (inquit) potest an de potentia Dei & Christi persuasum esse sufficiat ut quispiam sit fidelis. Hoc enim sonant verba, Creditis me posse facere? Moxque respondet. Atqui ex alijs Scripturæ locis patet notitiam potentia fore inanem vel frigidam, nisi de voluntate certis*

